



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

53. Inuestitura Thomæ Abbatis S. Maximini facta per Archiepiscopum
Treuirenssem nomine & mandato Cæsaris, & Imperij, Anno MDXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

syn / das shren Mayesteten an shren Personen Ehren vnd Würden hinderlich mögte
geschyn / vnd alles das thum / das myne Vorfahrendem Heiligen Nisch schuldig vnd plich-
tig syn gewest / als mir Gott helfff vnd die Heiligen.

Latine sic sonat.

EGO N. Abbas Sancti Maximini promitto ac Iuro Reuerendissimo Illu-
strissimo Principi, gratiosissimo meo Domino Treuirensi, nomine & ex
parte, & ex mandato Serenissimi, potentissimi Principis ac Domini, Do-
mini Maximiliani Romanorum Regis, Clementissimi mei Domini, quod Re-
gia illius Maiestati, illiusque Clementiae Successoribus Romanorum Regibus
& Imperatoribus, ac Sacro Imperio, quoad vixero, velim esse fidelis & addictus,
praemonere eorum damna, celare consilia & commoda procurare, neque vn-
quam consilio aut facto interesse, quod eorum Maiestatibus in suis personis,
honoribus & dignitatibus, nocere possit, omniaque ea facere, quae mei Ante-
cessores Sacro Imperio obstricti & obligati fuerunt. Sic me DEVS adiuuet &
Sancti.

53

*Inuestitura Thomae Abbatis S. Maximini facta per Ar-
chiepiscopum Treuirensē, nomine & mandato Caesaris
& Imperij, Anno MDII.*

THOMAS Abbas Monasterij Sancti Maximini, extra muros Ciuitatis
Treuirensis, Ordinis S. Benedicti, vniuersis & singulis praesentibus & fu-
turis notum facimus: Quod à Reuerendo in Christo Patre & Domino,
Domino nostro Ioanne Archiepiscopo Treuirensi. Sacri Roman. Imperii per
Galliam & Regnum Arelatense Archicancellario, ac Principe Electore Illu-
strissimo, Regalia, temporalia & feuda quaecunque à dicto Sacro Imperio de-
pendentia, nomine & autoritate Serenissimi Domini & inuictissimi Principis
Domini nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris semper Augusti, agno-
uimus, recepimus, iurauimus, & caetera fecimus cum caeremoniis & solennitati-
bus debitis & consuetis, vt in eiusdem Domini nostri Reuerendissimi litteris
subinertis nobis desuper traditis, plenius continentur, vt et Antecessor no-
ster immediatus fecit, & nos, & Successores nostri Abbates Monasterii S. Maxi-
mini à saepesato Reuerendissimo Domino nostro, eiusque Successoribus Ar-
chiepiscopis et Ecclesia Treuirensi, quoties iure, aut consuetudine opus fuerit,
ea agnoscere, recipere, iurare, et caetera facere debebimus; omnibus, Morâ,
contradictione et exceptione postpositis, Tenor verò iam memoratarum Re-
uerendissimi Domini nostri Treuirensis. nobis desuper traditarum litterarum
sequitur talis:

IOANNES DEI gratia sanctae Treuirensis Ecclesiae Archiepiscopus, Sa-
cri Romani Imperii per Galliam et Regnum Arelatense Archicancellarius,
ac Princeps Elector, ad futuram rei memoriam, Vniuersis & singulis pre-
sentibus & futuris notum facimus; Quia Inuictissimus Princeps Romano-
rum Rex semper Augustus Maximilianus Dominus noster nuper nobis & no-
stris Successoribus, vt scilicet Treuitorum Archiepiscopi, pro tempore Abba-
tis Monasterij Sancti Maximini extra muros Ciuitatis nostrae Treuirensis. Or-
dinis Sancti Benedicti, Regalia, temporalia & feuda quaecunque sui Monasterii

concedere, deque eisdem Abbates ipsos infeudare & inuestire Imperatoris seu Regis nomine & autoritate valeant, perpetuò indulget, vti in Regijs nobis & Successoribus nostris nuper datis litteris claret, huiusmodi Regiarum litterarum vigore comparuit coram nobis in propria personâ Venerabilis & Religiosus nobis in Christo deuotus, dilectusque Thomas, modernus Abbas supra memorati Monasterii S. Maximini (quod insigne Sacri Romani Imperii membrum existit) humilis & instans petiit, quatenus sibi Regalia, temporalia & feuda Monasterii sui, quæ ab eodem Sacro Imperio sui prædecessores Abbates antehac habuissent & tenuissent, habereque & tenere debuissent, concedere, ipsique de eisdem infeudare & inuestire dignaremur: Nos itaque, recepto prius ab eodem Thoma Abbate, & nobis præstito fidelitatis, subiectionis, & obedientiæ Iuramento debito & consueto, Regis nomine & autoritate supramemoratis, eidem Abbati Regalia, temporalia & feuda huiusmodi concessimus, ipsique de iisdem infeudauimus & inuestiuimus per præsentis, decernentes iisdem nomine & autoritate quæ sæpè factus Abbas in omnibus & singulis suis & Monasterij sui Oppidis, suburbijs, vicis, pagis, Castris, Castellis, Curijs, Villis, Dominijs, territorijs & districtibus, et fluminibus & ripis, ac locis alijs (quæ ipse Abbas diuisim aut communiter habet & possidet, seu habere & possidere deberet) regalia, temporalia & feuda huiusmodi cum suis honoribus, præminentijs, libertatibus, priuilegijs, prærogatiuis, Iuribus, consuetudinibus, obseruantijs, pertinentijs & attinentijs quibuscunque & qualibuscunque, mero & mixto Imperijs ac exercitio Iurisdictionis temporalis habere & exercere, illisque vti valeat, quemadmodum sui prædecessores Abbates & habuerunt & exercuerunt, illisque vti sunt, seu habere, exercere et vti quomodolibet potuerunt, aut debuerunt. Mandantes propterea, nomine et auctoritate supradictis, vniuersis et singulis Vasallis et fidelibus, Ciuitatibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Equitibus & Ministerialibus, Gubernatoribus, Rectoribus, Burggrauijs, Schultetis, Maioribus, Præpositis, Iusticiarijs, Centurionibus, Aduocatis seu Officialibus, Ciuibus, Oppidanis, Suburbanis, Colonis, Curtarijs ac subditis quibuscunque sæpè dicti Monasterij cuiuscunque dignitatis, gradus, status, seu conditionis existant; Quatenus præfato Thomæ Abbati, tanquam vero, naturali, recto, ordinario, & legitimo suo Domino in omnibus & singulis Regalia, temporalia & feuda huiusmodi, merum quoque & mixtum Imperia ac temporalis Iurisdictionis exercitium, seu alia præmissa quomodolibet contententibus, debitè & reuerenter obediant & pareant; omnibus, contradictione, difficultate & impedimento planè postpositis, Iure tamen Imperii, & aliorum aliarum & Ecclesiæ nostræ semper saluo. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium, præsentis nostras litteras exinde fieri, nostrique sigilli iustissimus appensione communiti. Datum ex arce nostra Erenbreitstein viceesima prima die mensis Nouembris, Anno Domini millesimo, quingentesimo, secundo, In quorum etiam omnium & singulorum fidem, & testimonium præsentis litteras Sigillo nostro Abbatiali impendente communitas, Reuerendissimo Domino nostro, & Ecclesiæ Treuirensi, tradidimus, datas loco, Anno, & Die iam præscriptis.